

audivi, et etiam ex illo quidem conici potest per sapientis testem¹, quod in senibus est sapientia², ubi tot et tanti senes et grandaevi, sed quotquot erant, omnes illa hora, videlicet ante missam, visitabant cameram domini et intrabant consilium, et illo tunc peracto, modo longius modo brevius, secundum quod factum se extendebat, simul cum domino duce capellam intrantes ibi missam audiebant; sic, domine mi, consilia vestra secundum tempora ordinare poteritis et seniorum atque expertorum ornare interessentia. Inter omnes ornatus et situs ubicumque curiarum dominorum, quos vidimus, nullus mihi placuit amplius nec adhuc parvo meo sentire placet, quam eorum progressus sive ad consilia sive ad quoscumque³ eorum status sessiones cum seniorum et longebarbatorum comitatu. Haec est facies hominis ut facies leonis cuncta animalia terrens.

Non casu gestum esse arbitror Iohannem, ut in Apocalipsi⁴ scribitur, XXIII vidisse seniores in circuitu sedere domini in thronis, et Esaiam dicere Esaias III⁵: 'dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui'. Quid sibi ista volunt, prout ad praesens nobis deservit, nisi secundum Gregorium, si 'omnis Christi actio nostra est instructio', quod sedentes in thronis et in cathedris ecclesiam domini iudicantes omnibus eorum iustitiam facient non cum levibus et inexpertis, sed honestis et senioribus. Ex quo omnis salus, virtus dominorum et potestas in eorum existit consiliariis et consiliis, non taedeat quemquam me aliquamdiu hic immorasse⁶.

Item finito consilio et missa audita, ut praedictum est, secundum status vestri existentiam procedere poteritis ad mensam cibum capientes cum dei timore et sacerdotis benedictione, immo et super omnia vitantes, quantum in vobis est, ut ludibria (f. 246) nugatoria et detractoria in praesentia [vestra⁷] et a vestris non audiantur. 'Ex habundantia cordis os loquitur'⁸, et nusquam dominorum status sive rigor ab extraneis et advenis commodius leviusque discernitur quam in mensa.

De ferculorum qualitate et quantitate aliquid scribere vanum reor et ridiculum audientibus, sed hoc unum, si placet, quod omnia apponenda per duos ordinentur transitus, quod quanto brevius tanto levius. Vidi saepius quasi omnes etiam discumbentes attediari per tot varias

1) 'testimonium' zu lesen. Red. 2) Nicht wörtliches Bibel-Zitat.
 3) 'quascumque'? Red. 4) 4, 4. 5) V. 14. 6) So Hs. 7) Fehlt Hs.
 8) Matth. 12, 34 und Luc. 6, 45.